



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Lingonensi Episcopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

capite quām in membris compromittere curaverunt, promittentes interposito jumento se ordinationi vestræ humiliter parituros. Vos autem compromissioni hujusmodi à festo sancti Remigij tunc proximò affutro usque ad annum terminum præfigentes, communiter statuistis ut quod super debitorum solutione à vobis ordinaretur, interim servaretur; & Capitulo inter cetera injungentes ut ordo monasticus, qui relaxatus ibidem aliquatenus fuerat, districtus servaretur, duo milia librarum & eo amplius infra annum pro debitibus monasterij persolvitis. Appropinquate vero termino compromissioni præfixo, cùm fuisset à vobis primitus constitutum ut omnes obedientiarum proventus insimul adunati ad solutionem cederent debitorum, quodque obedientiarij, ne statutum hujusmodi præpedirent, ad suas obedientias mitterentur earundem proventus fideliter servaturi, ipsi proventus illius anni in usus proprios vel potius in abusus nequiter convertetur. Vnde cùm adhuc multa debita superessent, pro quibus nondum fuerat satisfactum, qua nonnisi cum multarum possessionum distractione ac maximo Ecclesiæ detrimento poterant expediri, & malitia creditorum nonnisi per te, fili Dux, cuius jurisdictionis existunt, posset ulterius refractari, vobis pariter extitit ab eisdem Abbatte ac fratribus cum instantia supplicatum ut ascito vobis tertio viro provido & potente, in manu vestra tamdiu possessiones Ecclesie teneretis donec absque rerum Ecclesiæ venditione seu obligatione aliqua ipsius debita solverentur, & quinquaginta monachis faceretis honeste in eadem Ecclesia juxta loci confuetudinem provideri; ipsique ad prædicta servanda se juramento præstito astrinxerunt, tibi, frater Episcopo, patentes super hoc litteras concedentes, quod vos demum eorum devicti precibus acceptastis. Cùm igitur idem Abbas & fratres devotè nobis duxerint supplicandum ut quod præmisum est auctoritate dignaremur apostolica confirmare, cùm ad præsens alio modo nequeat monasterio consuli memorato, nos, qui super ejusdem loci sumus reformatione solliciti, provisio nem hujusmodi ratam habentes & gratiam, cùm credamus eandem ad ipsius monasterij commodum redundare, devotionem vestram rogandam duximus & monendam, per apostolica vobis scripta præcipiendo mandantes quatinus supra dicta taliter ad honorem Dei & utilitatem monasterij supradicti ad debitum perducatis effectum,

Tom. II.

quæ ad reformationem loci statuta sunt facientes in suo robore perdurare, ut diligenter vestre studium claret in effectu, ac divinam & apostolicam gratiam propter hoc vobis uberiori comparetis; contradictores, si qui fuerint, vel rebelles tu, frater Episcopo, censura ecclesiastica, & tu, fili Dux, si necesse fuerit, potestate tibi tradita, sublato appellationis obstaculo compescentes. Datum Laterani xvi. Kal. Maij, anno quartodecimo.

#### L I N G O N E S I   E P I S C O P O .

**C**um, sicut nostris est auribus intimatum, Willemus de Bregdum monachus, qui seditus & dilapidator existit, à multis retro diebus cum quibusdam suis fautoribus, qui ab aliis monasteriis ad sancti Benigni cenobium convolarunt, irregulariter vixerit, contra juramentum proprium, quod super servanda provisione ipsius Ecclesie præstiterat, veniendo, nec eisdem præsentibus pax possit in eodem monasterio reformari, fraternitati tuae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus, si est ita, supradictum Vv. & ejus complices ab eodem monasterio & membris ejus sublato appellationis obstaculo penitus amovendo, ipsos in aliis monasteriis ejusdem observantie collocare procures, contradictores, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiastica appellatione remota compescens. Datum ut in alia per totum.

Epist. 30.  
Super codem.

#### M A G I S T R O   N I C O L A O

*Misnenſi & Arnaldo de Stendal. Halberſtadtiſis diocesis Canoniciſ.*

**C**AUSAM quæ inter dilectos filios Otto. Ejusdem argu- nem Subdiaconum nostrum & Wal- menti cum epistola 49. terum, qui pro Praeposito Magdeburgensi præficitur, super Magdeburgensi præpositura dinoscitur agitari, tibi dudum, fili magister Nicolae, & bona memoria Broccardo Vrcimensi Canonico de partium voluntate sub certa forma meminimus commississe, vobis inter cetera injungentes quod si quicquam humanitus alterutri vestrum contingere, ut mandato nostro fideliter exequendo, sicut uteisque vestrum juramento præstito tenebatur, usque ad Kalendas Octobris proximò præteritas interesse non posset, ex tunc dilectus filius Florentius Abbas de Sichem, omni contradictione vel appellatione cessante, que vobis injuncta fuerant cum reliquo vestrum ea- rundem litterarum auctoritate exequi procurarer. Interim vero prædicto Broccardo

V u i j